



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 135. Franciæ Regis edictum contra Condæum Principem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

fructa sunt, ac vastata. Nec valere Sæc. XVII.  
 contra tantam tot furentium rabiem A. C. 1616.  
 ullæ dehortantium preces, non arma-  
 torum oppositæ comminationes. ac  
 magistratum quidem urbicorum im-  
 missa satellitum agmina, quæ ductore  
 suo glande plumbea trajecto, confestim  
 dilapsa sunt. Tandem vero Crequius  
 cum Prætoria Regis cohorte accurrens  
 tumultuantium furorem compescuit.  
 Ceterum trecentis millibus aureorum  
 æstimata sunt dispendia fortunæ illata  
 Ancræanis. Altero mane Guisius Dux,  
 & Cheuvreusius urbe profecti, ad Du-  
 cem Mayenium prope Augustam Sues-  
 sionum concessere, Præsides quoque,  
 ac Consiliariorum nonnulli aufugerunt,  
 deserto populo, qui belli civilis metu  
 in ancipiti hærebat, paulopost tamen  
 animo erectus, dum præconis voce de-  
 nuntiatum, nullatenus subesse, quod  
 metueret.

## §. CXXXV.

*Franciæ Regis edictum contra Con-  
dæum Principem.*

Iterata hæc Procerum fuga novorum  
 tumultuum ac defectionum metum  
 ingerebat; quocirca Rex die sexta Se-  
 ptembris Curiam accessit, ibidemque  
 causas, ob quas Condæum custodiæ  
 dari

Sæc. XVII. dari jussisset, exposuit, hunc in modum  
 A. C. 1616. perorans. „Hic Princeps eique adhæ-  
 „rentes elusis clementiæ viis, vilipensa  
 „Regis auctoritate, licet omnia, quæ  
 „petierant, in Juliodunensi pactione eis  
 „indulta fuissent, & quamvis Ancræus  
 „etiam aula secedere jussus esset, suos  
 „tamen Ministros Calvinianos incita-  
 „runt, ut Proceres, & Nobiles nobis  
 „adhuc fidos a nostro obsequio averte-  
 „rent, regium nomen, & Ministrorum  
 „famam cavillis ad populum lacerarent,  
 „imo Reginæ palam denunciare non  
 „vererentur, quod nonnisi a solo Deo  
 „in Regiminis mutatione impediri pos-  
 „sent. Secuta est paulopost Peronen-  
 „sis arcis expugnatio, quam injuriam  
 „armis facile vindicare potuissim, ma-  
 „lui tamen rem amica transactione com-  
 „ponere: Ipsi vero hanc clementiam  
 „velut animi mei timiditatem interpre-  
 „tantes, auctoritatem meam adeo con-  
 „temptim habuerunt, ut a pluribus ego,  
 „ac Mater mea Regina admoniti fueri-  
 „mus, ut nostræ vitæ ac securitati pro-  
 „spiceremus, eoquod omnia eorum con-  
 „silia in nostram perniciem tenderent,  
 „id ipsomet fatente Condæo: Non igno-  
 „rabamus, passim ab eis in Regno no-  
 „stro copias fuisse conscriptas, & arma  
 „ex urbe pro eis novissime exportata,  
 „unde victa tandem tam manifesto no-  
 „stro,

„stro, Regnique periculo patientia, re- Sæc. XVII.  
 „medium tempestive malo adhibitori, A. C. 1616.  
 „Condæum in arce nostra detineri ius-  
 „simus, eoquod ipse, ejusque Socii,  
 „violatis concordie pactis, novas tur-  
 „bas conflarint: declaramus tamen,  
 „quod per ipsius detentionem adeo non  
 „Juliodunensibus pactis contravenire  
 „intendamus, ut omnibus intra quin-  
 „decim dies ad obsequium redeuntibus  
 „veniam polliceamur, obstinatos ta-  
 „men tanquam læsæ Majestatis reos de-  
 „claramus, omni legum severitate ple-  
 „ctendos. „ Hoc edictum Rex a Se-  
 „natu ad acta referri, & in omnibus Pro-  
 „vinciis promulgari jussit. Re cognita  
 „Principes apud Sueffones congregati  
 „mox aliud promulgarunt decretum,  
 „quo innocentiam suam testati, declara-  
 „runt, quod nonnisi ex invidorum sug-  
 „gestionibus Regni usurpatio, atque in  
 „Regem conjuratio eis imputetur, cum  
 „tamen in obedientia Regis vivere &  
 „mori expetant: postea rogarunt, ut  
 „Rex promissa in inauguratione sua ad ef-  
 „fectum tandem perducere, & Condæum  
 „contra Regni leges, datamque fidem ca-  
 „ptum liberare velit, eo vel maxime, quod  
 „ipsi arma duntaxat in honorem Dei,  
 „commodum Regis, & emolumentum  
 „patriæ sumpsissent, nec ea prius depo-  
 „situri, nisi causa captivi Condæi in le-  
 „gitimo

gitimo

Sæc. XVII. gitimo iudicio probe cognita, in ca-  
A.C. 1616. lumniarum Authores, præcipue duos  
 illos vilissimos homines, a quibus omne  
 malum in Regno exortum est, ex legi-  
 bus Regni animadversum, omnisque  
 eorum posteritas funditus everfa, ac  
 Condæus in libertatem assertus fuerit.

## §. CXXXVI.

*Principes in Regis gratiam reversi.*

*Serran.*  
*Franc. Hist.*  
*Calmet Hist.*  
*Univ. l. 151.*  
*§. 93.*  
*Merc. Gal-*  
*lob. tom. II.*  
*l. 3.*

Quamvis Regi frivola horum Princi-  
 pum excusatio haud incognita es-  
 set, satisque compertum haberet, quod  
 vix ulla unquam subditorum in Regem  
 suum rebellio exstiterit, quam non re-  
 belles specioso publicæ salutis, ac Re-  
 giæ incolumitatis obtentu honestare  
 niterentur, aliunde etiam venditatum  
 ipsorum obsequium merito sibi suspe-  
 ctum haberet, eo potissimum nomine,  
 quod vix cognita Condæi captivitate,  
 mox Rupellani castellum Rupifortium  
 invadentes, illud præsidio Calviniano  
 firmassent; alii vero Calvinistæ Sacrum-  
 Cæsaris occupassent: nihilominus Rex  
 populi sui calamitates misertus, pro-  
 num ad reconciliationem animum præ-  
 fererebat; opportune etiam eo tempo-  
 re Guisus Dux ad aulam reversus, ar-  
 ticulos, quos Principes eidem scriptos  
 tradiderant, Regi consignabat, palam  
 testa-